

00

9949

Qu



641.

u

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
HÆMORRHAGIA
UTERINA MATRONÆ
ABORTIENTIS,

Vulgò
Von dem angegangenen Hertz-
Geblüt!

EX PRAXI CLINICA DESUMPTA,
Quam
ARCHIATRO SUMMO PRÆSIDE,
IN ILLUSTRILUDOVICIANA,
EX DECRETO INCLYTÆ FACUL-
TATIS MEDICÆ,

PRO LICENTIA
GRADUM DOCTORALEM CUM ANNEXIS
PRIVILEGIIS, IMMUNITATIBUS & HONORIBUS
Solemniter & Majorum more capeffendi,
MAGNIFICO & AMPLISSIMO DNN.
PROFESSORUM ORD. I

ventilandam offert
CHRISTOPHORUS FRIDERICUS KNEUSSEL,
MOENO-FRANCOFURTENSIS

Ad Diem August. H. L. Q. C. ANNO M DC XCVIII.

* * * * *
GISSÆ-HASSORUM, Typis HENNINGI MÜLLERI.



642.

GRATULATIO IN ACADEMIA MEDICA
HAMBORGHENSIS
UTERQUE FACULTAS
ACADEMIAE
MEDICAE
HAMBORGHENSIS
PRO DOCTORALIS
GRADU DOCTORIS
MEDICAE
HONORABILIS
ACADEMIAE
MEDICAE
HAMBORGHENSIS
PRO DOCTORALIS
GRADU DOCTORIS
MEDICAE
HONORABILIS
ACADEMIAE
MEDICAE
HAMBORGHENSIS



✿) ; (✿



I. N. J.



Tomachabundo ferè animo quis le-
 gere posset, quod l. 3. C. Comm. de
 legat. & fidecom. Medici non plu-
 ris, quàm Obstetrices (60. scil. solidis)
 estimentur: Qui quidem locus tot dissidiis, inter
 Medicos & Jctos Lugdunenses in Batavia
 abortis, ansam dedit. Ast, ut Imperator hoc in
 loco non de Medicis eminenter ita dictis, sed illo-
 rum servis potius intelligendus est; ita quoque
 Practici ineruditi & Doctores asparagorum
 more repente cocti, si non inferiori, certè pari cum
 Obstetricibus saepe loco habendi. Quemadmo-
 dum enim Obstetrices (ut plurimum nasutula)
 tum expeditæ satis & sapientes (les sages femmes
 hinc Gallis dictæ) audiunt & videntur, si &
 Naturam parturientis faventem & situm fœ-
 tus exoptatum (wann es wohl hergehet /
 und das Kind in seinem rechten Lager liegt)

A 2

inve-



invenerint: In casibus verò arduis, quasi paro-
 xysmo febrili laborarent, quandoque contremi-
 scunt ac horrescunt; ita Medicastrum magni vul-
 go Heroes videntur, si in morbis aut leviculis
 aut non nisi ordinariis symptomatibus stipatis,
 fortè fortuitò levamen aliquod attulerint. Et
 exscriptis è libris formulis aegro quodammodo sa-
 tisfecerint: Quod si vero morbi complicentur, vel
 contraindicantia nonnulla sueta medendi me-
 thodo figant obicem, tunc ut mus in pice haerent
 Et quo se vertant, nesciunt. Quid quod Me-
 dicis in Arte versatissimis hinc aqua haerere saepe so-
 leat, id quod cordati facile confitentur, quibus cor
 saepe in frustra dissilire videtur, si obstaculis ejus-
 modi deterriti remedia alias infallibilia applicare
 nequeunt, ut ab Hispano quodam Antonio
 Ponce Sanctacrutz, lib. de Impedimentis
 magnorum auxiliorum fusè demonstratum.
 Et licet haud ita pridem Gerbezius in Intricato
 Extricato se non minus ac alios hinc extricare
 conetur, tantum tamen abest, omnes illic diffi-
 cultates in Praxi occurrentes hactenus expeditas
 esse, ut potius adhuc indies casus ejusmodi occur-
 rant,



rant, qui indicibile Medicis negotium faceffere,
 Aegris verò in incautiorum manus incidentibus
 exitum eheu! adferre possunt. Vivo id exem-
 plo hac vice ob oculos ponam, in quo dum vires
 meas (tenuis licet) experiri audeo, DEIT.O.M.
 benedictionem quàm devotissimè, Benevoli verò
 Lectoris indultum obnixè exoro.

HISTORIA.

Matrona XL. circiter annorum,
 sanguineo-melancholica, post-
 quam à tribus, ut credebat, men-
 sibus utero conceperat, unà cum
 integra, quæ alio transferebatur, familia,
 iter per viam non adeò commodam facere
 cogebatur, quo absoluto, fluxum menstru-
 um, ab eo quidem tempore more solito ema-
 nentem, redire sensit. Cùm verò aliquoti-
 es in Patria abortierit, adeoque vereretur, ne
 idem infortunium hìc immineret, Medi-
 cum hujus loci advocari jubet, ipsique to-
 tum hoc negotium patefacit. Præscribun-
 tur ab eo confortantia æque ac adstringentia

A 3

v.g.

V. g. *Pulv. contra abortum A. cum Ther. coel.*
 in vehiculo convenienti *syr. corall.* edulcora-
 to, quo per aliquot dies continuato, horrore
 corripitur insigni, cum subsequente æstu
 crebris rigoribus interpolato, quæ febris
 malignæ (qua paucos ante dies sublatus fue-
 rat Hospes) suspicionem metumque injicie-
 bant, contra quam *Mixtura bezoardica* pa-
 rabatur, qua nondum ex officina allata, im-
 mani & horribili hæmorrhagia uteri corri-
 pitur ægra, quam *lap. hematit.* cum *blandis*
anodynis internè, *ligaturis* verò ex serico (quod
 vulgus alias urget) rubro externè inhibitu-
 rus erat Medicus, quorum utilitatem præ-
 sentaneam in similibus ferè casibus percepe-
 rat, sed frustra. Accedunt potius tormina
 atrocissima, doloribus parturientium simili-
 ma, sanguine adeo confertim manante, ut
 præ nimia virium imbecillitate, post assum-
 tam hostiam, S. S. calicem benedictum abs-
 que respiratione & mora interpositâ aslu-
 mere vix potuerit. Verbo: Status mulie-
 ris lamentabilis erat ac miserrimus, eoque
 magis,

(7)

magis, quod Natura medicamenta non tantum non actuabat, sed & omnino respuebat. Medicus Obstetricem advocari eamque solutum in Utero abortum extrahere jubet. Muliercula verò adstans foetum confortandum esse censeat, & *syrupum corall. miris* hunc in finem laudibus extollit. Medicus è contra foetum non confortandum hìc, sed pellendum esse replicans, pulv. ex *borrace, troch. de myrrh. &c.* præscribit, & in *∇. artemis.* propinat (cujus primam tamen dosin vomitu rejecit ægra) insimulque Obstetricem officii sui admonet, quæ tandem concretionem quandam membranofam cum sanguine plus minus coagulato extrahit, quo facto statim quodammodò sistebatur fluxus, successivè penitus remittens. Post aliquot dies febricula quædam urgebat, quæ *precipitantibus, expellentibus & balsamicis* quoque feliciter sublata, quibus & teter odor, quo de ægra querebatur, externè sublatus est. An verò cura hæc methodica & conscientiosa fuerit, disquiritur?

RESO-



RESOLUTIO.

I.



Non est, ut diu de nomine affectus *Ægram* nostram affligentis simus solliciti, qui soricis instar se ipsum prodere solet. *HÆMORRHAGIAM* enim *UTERI* adesse vel quævis Muliercula determinare poterit. Cur autem in vernaculâ eandem *das Herzgeblüt* vocare soleant, ratio forte est, quòd *Lipothymia*, *Syncope* & consimilia cordi vulgo adscripta pathemata illi facile superveniant; quo nomine etiam hæmorrhagia uteri puerperis vel gravidis contingens magis exprimitur, de qua vulgo dicunt *das Herzgeblüt seye angegangen*/ut eandem à mensibus nimis secernant, quos verbis magis absolutis efferunt: *das Geblüt seye angegangen*/vel, *das Geblüt gehe zuviel*. Interea cavendum ne sanguini hac via effluenti prærogativam quandam tribuamus, & secundum vulgi sententiam, è corde immediatè effluere putemus, quod circulationi sanguinis è diametro contrarium.

II. Non ergo simplicem & vulgarem, sed *HÆMORRHAGIAM UTERINAM* cum *ABORTU* complicatam hîc adesse, testantur 1. *ANTECEDENTIA*: Iter per viam inæqualem minusque commodam, menses suppressi antea & nunc præter morem redeuntes, ut & abortiendi consuetudo, quæ omnia quam facillime & abortum & hæmorrhagiam uteri producere valent. Idem confirmant 2. *CONCOMITANTIA*: Fluxus scil. sanguinis immanis, cum virium lapsu & insignibus dolo-

doloribus spasmō parturientium similibus, quæ omnia non vulgarem uteri hæmorrhagiam, aut menses nimios (qui & minus dolorosè & minus confertim fluunt, nec vires tantoperè debilitant) adesse, sed talem sanguinis fluxum, qui ab abortu provenit, indicant. Accedunt 3. **CONSEQUENTIA**, juvantia & nocentia, styptica, scil. adstringentia & anodyna, Divina aliàs & præsentanea in vulgaribus hæmorrhagiis remedia, quæ tamen hîc omnem spem omninò fefellerunt: Obstetricis verò manus opem præsentaneam attulit, quæ omnia fluxum hunc à separato intempestivè ab utero embryone (vel abortu) contigisse clarè ob oculos ponunt. *Est autem præsens Hæmorrhagia uterina nimius & immodicus sanguinis fluxus, ortus à p. n. vasorum uterinorum per abortum apertura.*

III. **SUBJECTUM** affectus hujus est uterus, cujus forma, partes & textura ex Anatomicis satis patent. Hæc membranacea est, è fundo & vagina constans; istæ vasibus utrobique sanguineis, lymphaticis & nervosis instructissima, è quibus arteria hypogastrica notam meretur singularem, per cujus ramulos & sanguinem menstruum excerni & succum nutritium cum foetu communicari certis mihi constat experimentis. Illa pyro (vel cucurbitæ) in non prægnantibus haud absimilis est, conceptionis verò tempore in majorem molem aliamque formam extenditur. Isti abdomen consecratum, tanquam infima C. H. regio, ita ut inter vesicam urinariam & intestinum rectum sit locatus. Huc ergo Te recipe Homuncio, qui pavonum instar rotatis exuviis extollis supercilia! Huc in palatium tuum pristinosque natales te confer, in quibus scybala loco pulvinaris, matula Microcosmî pro umbraculo sunt! Scil.

B

Cum

*Cum fax, cum fimus, cum nil nisi stercorea simus,
Quare superbimus?*

IV. Afficitur autem Uterus hoc in affectu quoad superficiem internam, eo in loco, ubi placenta uterina ipsi cohaeret, cujus praematura ab utero separatio vaforumque in placentam alias inhiantium apertio CAUSAM PROXIMAM FORMALEM & haemorrhagiae & cum ipsa abortus constituit. Hoc ut clarius pateat, duo hic ex Anatomicis & Physiologicis, tanquam in parenthesis, annotanda erunt: 1. Cohæsio foetus & secundinarum cum utero. 2. Ejusdem separatio legitima, tempore partus ordinaria, quò contraria juxta se posita magis elucescant. Illa, connexio scilicet Embryonis cum placenta, admiranda est: Postquam scilicet ovulum per Tubam Fallopianam in uteri concamerationem devolutum est, primis temporibus aliquamdiu per humores nutritios in uterum quasi stillantes per modum transfudationis alitur, donec ab Archæi & ~ plastici elatere, discursibus (ut *Cartesius l. de format. foetus* ostendit) mechanicis, partes antea in ovulo delineatas explicante, ea sine dubio in parte, ubi reliquis in ovario ovulis quodammodo connexum & per corpus glandulosum protuberans separatum fuerat, ruptis repagulis fibras quasdam protendat, quibus uteri superficiem internam paululum adhærescit. Quamprimum verò ex nutrimento proprio illic simul quodammodo extravagante rudera placenta uterinae formantur, hujus eminentia papillares alveolis uteri, tubulorum lacteorum mammariarum instar in praegnantibus conspicuis & ex pluribus radicibus in lacunas ampliores & in uteri cavum inhiantibus, haud aliter immersæ & quasi impactæ hærent, ac dentes per gomphosin alveolis gingivæ sunt insertæ;

ros suos in lucem edentes. De partu autem octimestri non est ut verbum amplius addam ; hujus enim existentiam & possibilitatem adeo solidè in pecul. de eo Tract. ob oculos posuit Inclytus & Subtilis *Drelincurtius*, meus olim in Batavia Professor, ut neque Medicis, neque Jctis amplius ullum de eo dubium hæere possit. Quod enim hic desideratur in brevitate temporis, refarcitur à Naturæ bonitate.


V. Sed cur in Partu Naturali & legitimò tam enormis hæmorrhagia non conjungitur ac in abortu præsentì ? Dicam, attende ! In partu naturali sanguinis quoque fluxum ingentem observari, præter experientiam testatur *Hippocrates*, adeo quidem, ut velut à victimâ Sanguis, (als wann man einen Ochsen schlachtete) si benè se habeat & habitura sit mulier, exeat, *lib. de Nat. pueri §. 12. edit. Linden.* nam & hîc post secundinarum separationem aliquantum hiant vasa. Quòd verò statim sopiantur, nec ad tantum temporis spatium, ut in abortu, duret, ratio est, quòd chorii papillulæ ab uteri alveolis, quibus inoculatæ quasi erant, blandè & successivè separatæ fuerint, & post fœtum protinùs exclusum uterus coarctatus oscula vasorum comprimendo & quasi obturando omni hæmorrhagiæ viam præcluserit ; in abortu ècontra separatio illa violenter & non sine laceratione vasculorum capillarium contingit, unde vasa in uterum hiantia plorant sanguinem, & horum apertura alitur ab abortu & placentâ uterinâ intus fluctuantibus, quæ uteri concidentiam & coarctationem impediendo, hæmorrhagiæ tam enormis CAUSAM PROXIMAM MATERIALEM constituunt & omnem malorum Lernam producent.

VI. Hinc



abortivam dispositæ fibrillæ ipsius uteri : Partim & iter per loca inæqualia, montana & saxosa, quæ in causa sunt, ut agitatis & concussis hinc inde carpentis embryo in subjectis jamdum tenerioribus & ad abortiendum (uti hocce) dispositis minus firmiter utero annexus, acetabulis suis excidat, qui si utero diutius inhæreat, nec statim excludatur, ob dictas supra rationes facilimè ejusmodi hæmorrhagiam funestam inferre valet. Frequentissimam sanè hanc abortus causam esse, honestissimæ sæpe Matronæ damno suo sæpius sunt expertæ, quod tantum tamen in animo cordeque illarum, sæpe infontissimo, vulnus non relinquit, ac calumniantium (è centro Regni Diabolici oriundorum) mendacia, quibus & liberorum, intempestivè ita magis expulforum quàm enixorum, legitimationi æque ac parentum (primipararum cum primis) famæ insidias struunt nefandas. Anne temperamentum agræ sanguineo-melancholicum aliquid hîc contribuere potuerit, inficias ire non audeo, quum acido abundans sanguis papillulas in vaginulis, si non vellicando, titillando sanè firmiorem illarum adhætionem quodammodò inhibere, adeoque solutionem hinc magis promovere potuerit. De aliis in casu non expressis Diæteticis nihil addo, quamvis & illæ fortè symbolum suum conferre potuerint.

VIII. Quàm periculoso autem in statu versentur *Ægræ*, tali hæmorrhagia affectæ, non tantum testatur *Hippocrates*, dum *aph. 56. S. 5.* animi defectum muliebri profluvio supervenientem malum esse pronunciat, quum menstruis ordinariis etiam abundantibus morbi eveniant, *ibid. aph. 57.* Hic autem fluxus eò periculosior erat, quòd ab abortu in utero adhuc fluctuante ortus fuerit,



fuerit, qui nisi ocjus extrahatur, certo certius lethalis est. Plures fanè novi quæ purpuream hâc viâ animam exhalarunt, non aliam fortè ab causam, quàm quod omiffa enchirisi, absolutè hic necessariâ, solis confortantibus, adstringentibus & opiatibus, abortui alias dicatis, fuerint tractatæ.

IX. Cæterum facilè hariolor, fore, qui Nos ipsos in casu præsentis confortantibus æque ac adstringentibus usos esse, adeoque frustrâ illa rejici, arbitretur? ast vide quàm acerbè ne dicam iniquè, iudices! Utiq; præscripta sunt adstringentia, confortantia & anodyna, eo scil. quo indicabantur tempore: Tunc autem indicantur, si guttatim ac moderatè effluente sanguine placenta ab utero nondum prorsus separata esse videatur: Non factò, sed instante abortu. Truculentum enim & crudelis animi signum esset, tunc intempestivè manum admovendo prorsus evellere ea, quæ lapsum minantur; quin potius omni prius studio in id est annitendum, ne remittens à pristina connexionne sarcina omninò decidat, sed potius, ut fibris confortatis vaginulisque uterinis quodammodo constrictis fortius comprehendantur papillulæ elapsuræ. Quem in finem E FONTE PHARMACEUTICO blanda adstringentia, ex Rad. Tormentill. flor. balaustr. Cort. granat. cydon. Mastich. corvall. r. terr. sigill. &c. eorumque præparata, tam simpliciora, quàm varia inde composita, tam inquam externè feliciter præscribuntur, inter quæ agmen ducit tot retroseculis decantatus Pulv. contra abortum A. quem s. m. ferè præscribere poteris:

Rec.



Rec. Pulv. contr. abort. A. ℥j.

Pannon. rubr. ℥℞.

Terr. catech. ℥j.

Ther. coel. gr. ij. M.

D. S.

Stärkend- und anhaltendes Pulver / davon
des Tags etlichmahl ein paar gute Messerspitzen voll-
zunehmen.

Rec. ∇. torment.

plantag. ana ℥℞.

Extr. torment. ℥j.

Syr. Corall. r. ℥j. M. S.

Wasser zum Pulver.

Quodsi verò gravis ac molestus sit pulverum usus, subje-
ctis delicatioribus, Tincturas ordinariè amantibus, se-
quens præscribi potest:

Rec. Tinctur. terr. catech.

corall. c. r. pan. ana ℥j.

M. S. Anhaltende Tinctur des Tags et-
lichmahl 20. Tropfen zu nehmen.

Interponuntur quoque confortantia foetumque roboran-
tia, inter quæ polychresta est ∇. composita, quam vulgo
Balsamum Embryonum vocant, quæ vel per se, vel cum
aliis, sive acuata sive, temperata, est egregia.

Rec. ∇. flor. tunic. ℥ij.

bals. Embryon.

roris Sol. ana ℥j.

Syr. corall. ℥vj. M. S.

Stärkendes Träncklein davon oft ein paar Löff-
fel voll zunehmen.

Anodyna

Anodyna verò non nisi in orgasmo sanguinis aut doloribus spasmodicis conveniunt, & quidem *blandiora*, cautissimè quoque adhibita, in specie opium, quod foetui infensum valde est, de quo acutè Illustris *Wedelius* in *Opiologia Curiosissima*.

Addantur his quoque **EXTERNA** *adstringentia* fibrarumque tonum confortantia, unguenta, emplastra, periapta s. amuleta.

Inter priora decantatum est *Ungt. Comitissa*, ita præterpropter præscribendum :

- Rec. *Ungt. Comitiss. A.* ℥j.
- sang. Dracon.*
- mastich. elect. ana* ℥j.
- *Nucist. expr.* ℥ss.
- M. lento Δ. add. ◦ *Omphac. q. s.*
- F. *Linim. D. S.*

Sälblein den Unterleib und Rücken darmit anzustreichen.

Inter *Emplastra* laudatur, *Empl. contra rupturas D. Hoffmanni*, spinæ dorsi è regione lumborum applicandum.

Præterea à vulgo ex amuletis *lapis Aëtites* de collo suspenditur, quem licet non omnino rejiciamus, in causa tamen violenta non æque conducere existimamus cum B. D. D. *Bauschio Tr. de Aëtite & Hemat.* quem in compendio videre poteris in *Historia Literaria Incltyti Valentini* (quem plus quàm filiali observantia in perpetuum non colere piaculo mihi erit) *Miscell. Cur. Germ. Dec. II. Ann. IV. pag. 221. annexa.*

C

E FON-



E FONTE CHIRURGICO in mediis gestationis mensibus etiam V. S. non insuper habenda, quæ in plethoricis in specie præservationis ergo laudatur.

X. Quod si verò certi simus placentam uterinam cum annexis ab utero jamdum separatam in hujus cavitate fluctuare, tantum abest hæmorrhagiam, uncincentem adstringentibus & stypticis curari foetumque (seu potius abortum) in utero conservari posse, vel debere, ut potius omni operâ indè promovendus sit. Advocata ergo Obstetrix sana & sapiens, more solito digitos ^o lil. alb. illitos inserat orificio uteri interno, hujus diductionem quoadocys promoveat foetumq; capite prius, si fieri potest, sin minus, pedibus Agripparum instar arripiat & cum secundinis extrahat. Si vero rudera tantum embryonis adsint, hæc eodem modo extrahat. Quæ ut facilius procedant, ipsæ pariter ægræ spiritum tenendo, moreque solito, in quantum vires patiuntur, collaborando symbolum suum conferant. Neque in extremo necessitatis casu piaculo sibi ducat Medicus ea, quæ in partu difficili alias præscribi solent, *pellentia* scilicet ordinare, qualia sunt *hepar anguille. c. felle, borra: Venet. myrrhata, castorina. &c. v. g.*

Rec. *Borr. Ven. dij.*

Myrrh.

Croc. ana. ℞. D. in. 2. p. æ.

D. S. *Pülverlein davon eines in Beyfus-
Wasser zu nehmen.*

Quod si tandem omni etiam operâ adhibitâ foetum ita promovere nequeas, sique de morte ejus certi simus,

mus,

mus, à Chirurgo experto Embryotomia & Embryulcia, juxta methodum Versatissimi his in rebus *Dn. Van Solingen*, adhibenda, eâque peractâ DIÆTA tenuis, puerperis alias consueta, imperanda est.

XI. Coronidis loco jam ad quæstionem in casu propositam, an sc. *Cura hæc methodica fuerit, & conscientiosa?* respondeo, affirmandamque censeo, cum experientia teste conferat eamque facile ferant ægræ, quæ solis adstringentibus ab aliis, hujus methodi ignaris, è contra aut negliguntur, aut quàm officiosissimè ac felicissimè (scilicet!) enecantur. Ne verò primus hoc, idque periculo ægrorum sive tentasse sive suasse videar, en praticos & Archiatros apud Exteros Famigeratissimos, idem non suadentes tantum, sed & imperantes. Agmen inter illos ducat Senex quondam & Machaon Anglorum Venerandus, *Theodorus de Mayerne*, qui *Tr. de cura gravidarum sect. XI. pag. 52.* in simili hæmorrhagiâ festinandum esse dicit in ope ferenda, ne ægra paucarum horarum spatio succumbat. Præstantissimum (ait) Remedium est Foetus extractio, quæ Matris vocatur liberatio, quia tunc uterus concidit, quæ concidentia patula vasorum oscula occludit, & per consequens sanguinem sistit. Huic parallela est methodus *D. Craanii*, qui in *Praxi Medica Reformata C. IV. pag. 416.* in simili sanguinis fluxu immodico cum foetu mortuo in Curatione: Partus, inquit, provocandus erit, Chirurgicè extrahendo foetum per partes, præscribendo simul pellentia ex *Borrag. Ven. croco. &c.* Addo his Chirugos & Embryulcos his in rebus Versatissimos, alterum citatum sæpius *Dn. Van Solingen*, qui *lib. von dem Ampt und Pflicht der Wehe-Mütter / cap. XV.* in tali hæmorrhagia foetum ocyus extrahi jubet



bet n̄i matris cum foetus mortem infallibiliter expectare
velis. Quod jam ante eum propria quoque fretus ex-
perientia commendarat *Mauriceau*, Artem obstetriciam
quoque ipsemet exercens Parisiis, in *Hebammen-Buch*
l. 1. cap. 21. E quibus apparet methodum supradictam
cum horum experientia exactè convenire, quâ tractata
Agra DEO benedicente felicissimè ex Orci faucibus
erepta est. Illi sit laus, honor & gloria in secula
sempiterna!



COROLLARIA.

P ^{I.} *Procurare abortum nullo modo licet.*

*II. Epulmonum in ∇ à subsidentia aut supernatatione
certum infanticidii indicium haberi non potest.*

*III. Mulieri pręgnanti parcitur l. Pręgnant. 3. ff.
de poen. etiam post partum, n̄i vires receperit, cons. Carpzov.
Pr. crim. Qu. 137. n. 22. seqq.*

*IV. Sage ab aliis habite, etsi confiteantur veneficium,
tamen non indiscriminatim puniende.*

*V. Medicus, qui gravida foetum pellentia Expetenti,
eandem promiserit, etsi confortantia potius eorum loco prescripse-
rit, de abortu subsequente jure conveniri potest.*

*VI. Non à symptomatibus vulnus concomitantibus (s̄
quidem necessario ipsi inhereant) sed ex ipso vulnere quo, quis
mortuus est, ejus lethalitas dijudicanda.*

VII. Vul-

VII. *Vulnera capitis (etsi levia quandoque visu)
à contusione imprimis , suspecta sunt omnia.*

VIII. *Curata tamen sunt etiam profundiora menin-
ges penetrantia.*

IX. *Elevari posse umbilicum instrumentis certis & hinc
paracentesin in eo institui testatur experientia.*

X. *Excitantia naribus applicata , in affectibus respira-
tionem insigniter lædentibus tantum præstant , quantum in sa-
nis spiritum retinentibus.*

ACCLAM. VOTIVÆ.

Sanguinis hîc fluxum compescens , Optime KNEUSEL,
Qui è centro cordis præcipitatus abit
Principium vitæ servas : Quò fungitur omni
Munere Naturæ fabrica corpus agens.
Sanguine fundata est hominis generatio quondam :
Sanguine succrevit : Sanguine finis erit ;
Hinc merito sanguis vitæ quoque balsamus audit ,
Quo refluxente fluit , quo pereunte perit,
Stat mola , si fluvii cessans appulsus aquarum
Sistitur & stabili manserit illa rota.
Sic quoque corporeæ cessat mola vivida vitæ ,
Dum cruor è venis , quâ data porta ruit.
Hunc servare studens vitam simul ipse tueri
Sattagis : Hinc Medicâ DOCTOR in arte clues.
Non Romæ solidis (hem !) sexaginta redemptus ,
Queis Medicos Rabulæ vexat iniqua cohors ;
Ἰατρὸς γὰρ αἰνῆ πολλῶν ἀντάξιός ἄλλων
Quem coluisse DEUS jussit in Orbe Virum.
Talis eris ! Vah ! quantus eris , si cætera jungis
Quæ Medicas animæ dixeris ipse manus !

*Inter sexcentas occupationes boni ominis ergò
gratulabundus deproperabat*


MICH. BERNHARD VALENTINI , D. & P. P.



In Geist der Ehre lebt kan niemahls unrent liegen /
 Drumb trägt Er auch davon die Palmen nach der Schlacht /
 Womit Apollo Selbst nach Seinem theuren Siegen
 Bekröhet Sein Edles Haupt das solche Früchte bracht.
 Wer auff solche weise pranget /
 Dieser hat mit recht erlanget.
 Der Götter hohe Gunst die nicht kan sterblich sein.
 Und obschon sterben wird / der Sonn und Monden Schein.

Dieses fügte in fliegender Eyl dem Herren Cand. seinem
 bisher werthgeschätzten Hn. Tisch-Genossen /
 glückwünschend hinzu.

J. J. Gersten / Lic. & Advoc. Ord.



Vita quid est hominis? nummo quæ deficit omni,
 Nil quam paupertas, nil nisi falsa quies.
 Vita quid est hominis? qua non sunt corpora sana,
 Est nil quam morbus; mors quoque dura scias.
 Vita quid est hominis? cui non est junctus amore,
 Quam *Leo* cui defunt * *viscera* crede mihi.
 Gratulor hinc Nobilis, quod certus factus amicus,
 Inter nos durat, non simulatus amor.
 Ergo post cursum Studiorum gratulor ipse
 Apprecor inque illo prospera cuncta Tibi.
 Sit felix cceptum; medium finemque secundet,
 Numen in excelsis, quod regit astra poli.
 In quavis terra vivas fidelis Amice.
 Sis memor usque mei, sum memor usque Tui!

* Seneca
 lib. 2. epist.
 ult. sine
 amico vi-
 sceratio
 leonis &
 lupi vita
 est.

*Hisce Nobilissimo & Praclarissimo Domino Candi-
 tato bene Amico suo estimatissimo, de novis
 honoribus, meritis gratulatur*

V. D. M. H.

Wo Weisheit und Verstande nebst dem Gemüthes
Gaben

In stäter Übung seindt / auch ihre Würckung haben /
Da ist es guth bestellt / und schickt sich alles wohl /
Solch Werck erhoben wird / bis an der Sternen-Pohl.
Die außgeübte Kunst muß saure Müß ersetzen /
Die Sama muß sich selbst mit solchem Geiste lehren
Und durch den schnellen Flug verkünden allem Lande:
Das dieser Kluge Sinn / werd überall bekandt.
Wohl dann Wein wercher Freunde nach dem Er überwunden
Und in der Medicin verfaumet keine Stunden /
Zu üben seinen Geist / so ist Er nun bedacht /
Zu zeigen seinen Fleiß / wornach Er lang getracht /
Die Disputation kan hier ein Zeugnis geben /
Von seinem Edlen Fleiß und wohlgeführten Leben /
Dadurch Er macht bekandt / Sein außgefeuerten Geist /
So daß die Kluge Welt / nunmehr Sich befließt /
Nebst den Apollo Ihm / den Sieges-Kranz zu geben:
Ja auch Morbona selbst muß nun in Aengsten schweben:
Machaons Kluge Junfft legt ihm den Ruhm ja bey
Das Er untadelhafft in seiner Lehre sey.
Dies Giesische Arden daß ist nunmehr erfreuet /
Mit höchstem Ruhm es Ihm anjert die Palmen streuet
So Er schon längst verdient / selbst Jena zeigt dies an
Ja Leyden rühmet sich was Er daselbst gethan /
Nun erndtet Er hier ein die Früchte seiner Tugendt /
So Er gesamlet hat von Anfang seiner Jugendt /
Auch wird Ihm beygelegt der Nahm Licentiat
Denn Er verdienet hat / durch diese Kluge That.
Der Lorbeer-Kranz der ist nunmehr schon gewunden /
Womit Minerven Hand sein Edles Haupt gebunden /
Bald wird Ihm aufgesetzt / der schöne Doctors-Zuth /
Der macht nach vieler Müß / noch jede Arbeit guth.
Nun ist auch meine Pflicht daß ich mich unterwinde /
Und einen treuen Wunsch in schlechte Reimen binde //

Wohl

Wozu mein schwacher Kiel anjens ist bereit
 Zu äßen seinen Ruhm in Chor der Ewigkeit.
 Es gebe der Höchste Sein reichlichen Segen/
 Zu allem was IHME ersprießlich nur sey/
 Er wolle ihm stätige Freude erregen
 Er setze ihm lauter Vergnüglichkeit bey.
 Es müssen die Krancken die Hülffe erheben.
 So sie werden mercken in ihrem Zustandt /
 Dann wird sein Ruhm in der Unsterblichkeit
 schweben
 Mit Lobe erschallen / in jedem Landt.

Hiermit wolle dem Hn. Doctorando Seinem Hochgeehrte
 und geschätzten Gönner/ auch bisherigen Hn. Tisch. Com-
 pagnon zu Bezeugung seiner Schuldigkeit / wohlmeinende
 nebst Seiner ferneren gehorsambsten Recommendation
 auffwarthen.


Johan. Nath. Schunck / der Rechten Beflissener
 von Nanau.



Abdita naturæ scrutatus sedulo semper,
 Quisque vigor Medica magnus in Arte situs.
 Expertus; certò referunt nunc præmia Musæ,
 Successus Studiis apprecor inde tuis.

*Hæc Dn. Candidato Fautori ac Commensali ad busta
 usque colendo eâ, quâ par est, animi observantiâ
 gratulabundus apposuit.*

J. E. K.



1535 66


ULB Halle
005 308 526

3



W 17







641.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICÆ
DE
HÆMORRHAGIA
UTERINA MATRONÆ
ABORTIENTIS,
Vulgò
Von dem angegangenen Hertz-
Gebüt/
EX PRAXI CLINICA DESUMPTA,
Quam
ARCHIATRO SUMMO PRÆSIDE,
IN ILLUSTRILUDOVICIANA,
EX DECRETO INCLYTÆ FACUL-
TATIS MEDICÆ,
PRO LICENTIA
GRADUM DOCTORALEM CUM ANNEXIS
PRIVILEGIIS, IMMUNITATIBUS & HONORIBUS
Solenniter & Majorum more capeffendi,
MAGNIFICO & AMPLISSIMO DNN.
PROFESSORUM ORD. I
ventilandam offert
CHRISTOPHORUS FRIDERICUS KNEUSSEL,
MOENO-FRANCOFURTENSIS
Ad Diem August. H. L. Q. C. ANNO M DC XCVIII.
* * * * *
GISSÆ-HASSORUM, Typis HENNINGI MÜLLERI.

